



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 90. Maurorum ejectio a Rege decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

commercium (familiare illud hærefes Sæc. XVII.
 invehendi medium) intercludi. A. C. 1610.

§. XL.

Maurorum ejectione a Rege decreta.

Ponderatis hisce rationibus ultro citroque propositis. Philippus Rex Religionis tuendæ studiosissimus ad præcavenda tot scandala, sacrilegia, atque assiduas Divinæ legis profanationes, Mauros omnino Regno expellendos esse ad extremum decrevit, habita potius Ecclesiæ, & conscientiæ, quam privati commodi ratione; non ignorabat equidem, e tot hominum millibus, si retinerentur, ingens tributorum, Regii fisci ac Hispanici ærarii compendium sperari posse, si vero pellerentur, detrimentum sequi, nihilominus sartæ tectæ conservandæ Religionis Studio, quo ardebat, prævalente, unaomnes in Mauritaniam transmarinam propellere statuit: ne vero Ottomanis ad ferendas Mauris suppetias ejusdem superstitionis Societate plecti accurrerent, Rex omnem, quam ejus prudentia deposcebat, cautelam adhibuit, vicinas maris oras valida classe, urbes maritimas, montes & via-

*Calmet l. c.**Jacob.**Bleda defens.**fid. contra**Moriscos.*

Sæc. XVII. & viarum angustias numerofo milite ob-
 A. C. 1610. fidens. His ita provide dispositis Rex
 Valentiaë, aliisque ejusdem Regni urbi-
 bus edictum suum promulgari jussit,
 quo præceptum, I. ut Mauri omnes in-
 tra tridui spatium bonis suis, quantum
 lacertis imponere possent, secum aspor-
 tatis sine ulla offensione, convitio aut
 contumelia navigiis in Africam trans-
 ferantur, omnibus ad iter conficiendum
 largiter suppeditandis. II. Eorum bona
 immobilia illis Proceribus, quibus sub-
 jecti erant, cedant, si vero ea igne
 combusserint, vel alio pacto malitiose
 devastaverint, aut ipsi in fuga depre-
 hensi insequentibus restiterint, morte
 plectantur. III. Ex centum familiis
 sex unacum uxoribus ac filiis pro ter-
 ræ cultura aliisque operibus remaneant.
 IV. Idem etiam concedatur infantibus
 sextum ætatis annum nondum egressis:
 Si vero Pater professione Christianus,
 ac senex, Mater vero de Maurorum
 secta, ea expulsa Parens cum suis pro-
 libus reservetur, & sic econtrario. V.
 Omnes autem, quos vere Christianos
 esse, testimonium Episcopi comprobat,
 in Regno impune habitare pergant. VI.
 Christiani vero, qui quosdam occulta-
 verint Mauros, triremium supplicio
 castigentur. Percepto hoc Regis man-
 dato Mauri fera nimis pœnitentia ducti
 expul-

expulsionis sententiam in genua prostrati Sæc. XVII.
 revocari petebant, pollicitatione facta, A. C. 1610.
 quod tricies centena aureorum millia,
 dummodo Mahometanæ sectæ libertate
 uti permetterentur, dono dare, novas-
 que turres in oræ maritimæ defensio-
 nem erigere vellent: Spondebant in-
 super, quod quatuor triremibus suo
 ære instructis Piratas continere, bello
 insequi, captosque ab eis Hispanos lytro
 redimere parati essent. Cum autem
 nec Christi Ecclesiæ, nec Regi suo fi-
 delitatem promitterent, nec eam, etli
 promississent, se servaturos, sperari pos-
 set, Rex spretis eorum oblati in sua
 perstitit sententia: id tamen eorum pre-
 cibus datum, ut eis bona immobilia
 clam vendere liceret, & præfixum ex-
 cedendi tempus ad viginti dies exten-
 deretur. Igitur ceteris primi ex Gan-
 diæ Ducatu Hispanis & Neapolitanis
 navibus impositi Oranum Africæ urbem
 transferuntur, quos subinde reliqui se-
 quebantur: Repertus est gentis illius
 numerus ad novies centenum millium
 facile summam excurrent. Ex his vi-
 ginti quinque millia instigante Mellinio
 Sequeira Morisco, Viro ad quævis au-
 denda projecto, arma contra Hispanos
 sumpserunt, attamen desideratis suorum
 tribus millibus sese victorum arbitrio re-
 linquere coacti sunt: tandem vero reli-
 qui

Hist. Eccles. Tom. LIV.

H h

qui

Sæc. XVII. qui Mauri ex Granata, Murcia, Ar-
 A. C. 1610. dalusia, Arragonia & Catalaunia, aliis-
 que Hispaniæ Regnis, & oppidis expulsi,
 pari forte in Africam translati sunt, quos
 inter non pauci bonis spoliati, ab Ara-
 bibus trucidati, vel diversas in terras,
 insuetosque sibi populos ejecti morbis,
 fame & mille moriendi viis interierunt,
 omnes ferme ubique male habiti, a Chri-
 stianis reiecti tanquam infideles & Apo-
 statæ, ab infidelibus tanquam Christiani.
 Ridiculum sane est, quod Hæterodoxo-
 rum potissimi hanc Maurorum ejectionem
 velut iniquissimam Hispanis expro-
 brent, & liberam Mahometanæ super-
 stitionis professionem hisce seditiosis im-
 pune concedendam fuisse asserant, cum
 tamen ipsi Catholicis publicum fidei
 suæ cultum in suis ditionibus inhibere,
 eosque e suo gremio propellere omni-
 bus viribus nitantur. Ceterum Da-
 mianus a Fonseca edito Romæ libro,
 cui titulus: *justa Moriscorum ejectio ex
 Hispania*, Philippum III. Regem egre-
 gie vindicabat, hujusque expulsiõnis
 æquitatem luculenter demonstrabat.

§. XCI.

*Leopoldi Archiducis exercitus a Ju-
 liacensis Ducatus Competitoribus
 profligatus.*

Hæc